

Commentationis de tribunicia potestate particula.

Nihil esse melius, nihil praestantius re publica Romana, Cato ille Censorius dicere solebat. Neque id mirum. Exorta est enim non ex animo consilioque unius hominis, sed ex ingenio et virtute multorum et bonorum et sapientium virorum, non unius aetatis est opus, sed multorum saeculorum. Ubi terrarum est alius populus, ac Romanus, qui civitatem a majoribus sapientissime constitutam et clarissimorum virorum consiliis et factis stabilitam servaverit, legibus, in quibus, ut Cicero in orat. p. A. Cluentio LIII. 146. ait, mens et animus et consilium et sententia civitatis est posita, summa aequitate conditis, et tamen, si qua nova instituta apta viderentur ad rem publicam tuendam gloriamque ejus confirmandam, ea non praetermittenda sed in civitatem recipienda esse existimaverit? Recte igitur Polybius descriptionem rei publicae Romanae summa perspicuitate atque sollertia factam hisce verbis, a quibus caput XVIII. libri VI. incipit, concludit: *Tοτείτης δ' οὖσης τῆς ἐπάστον τῶν μερῶν δυνάμεως, εἰς τὸ καὶ βλάπτειν καὶ συνεργεῖν ἀλλήλοις πρὸς πάσας συμβατεῖ τὰς περιστάσεις δεόντως ἔχειν τὴν ἀρμογῆν αὐτῶν, ὥστε μὴ οἶν τ' εἴναι, ταύτης εὑρεῖν ἀμείωτα πολιτεῖας σύστασιν.*

Instituta autem majorum etiamsi summa pietate maximaque stabilitate atque constantia colebantur atque observabantur, tamen tribunis plebis in rempublicam receptis, qui quasi principium et causa sunt motionis in administranda republica, paulatim, eadem specie eademque forma servata, mutata aliaque et esse et haberi videbantur. Tribuni igitur plebis ii sunt, quorum ratio in contemplanda domestica populi Romani historia in primis habenda sit. Verum cum multae res in historia populi Romani nequaquam adhuc explicatae sint, tam variis doctissimorum hominum tamque discrepantibus sententiis, tum perdifficilis et perobscura quaestio est de tribunicia potestate. Digna tamen videbatur, quam in praefatione horum annualium scholasticorum retractaremus cuique lumen quoddam, si potest, afferremus. Itaque ut nobis proposuimus, schedis nostris collectis, primum de origine tribunorum plebis deque legibus sacratis, deinde de eorum

jure auxiliandi dicatur, postremo num iis jure potestatis licuerit primis temporibus usque ad leges Valerias Horatias in senatu adesse quaestio habeatur.

Priusquam autem quaestionem instituamus de origine tribunorum plebis, forsitan quispiam quaequierit, quae fuerint causae, cur plebi licuerit hosce magistratus creare. Quam ob rem quaedam de plebe deque ejus conditione dicenda sunt, nisi totius quaestiones quasi fundamentum nos deficiat velimus. Jam primis temporibus Sabini Capitolium et arcem, Albani Coelium mentem impleverant, cum Ancus Marcius Politorium, urbem Latinorum, vi cepit multitudinique Romanam traductae Aventinum montem dedit. Liv. I, 33. (cf. Cic. de rep. II, 28. „Cum Latinos bello devicisset, adscivit eos in civitatem.“) Haec origo plebis. Sed tantum patribus omnis juris civilis et publici participibus ne a Servio quidem Tullio in componendis rei publicae rebus, cum universum populum in classes divideret, plebs in parem juris libertatisque conditionem recepta est. Cumque Tarquinio Superbo regnante non solum plebs sed etiam patres graviter premerentur, regibus expulsis regia potestas dissoluta est, duoque sunt creati praetores,¹⁾ anni magistratus. Attamen in conditione plebis hac re nihil mutatum²⁾ est: ex contrario plebs, animo ad libertatem³⁾ accenso, novarum rerum cupida videbatur esse. Itaque P. Valerius certe non quod gratiam sibi conciliaturus fuit plebis, sed quod optime intellexit, quanto periculo discordiae plebis et patrum rei publicae esse possent, fortasse etiam coactus infensa plebis voluntate, illas leges tulit, quas Dionys. Hal. V, 19. *rōμoνs* vocat *γιλανθρωποτάτoνs*, quarum legem de provocatione Cicero de rep. II, 31. commemorat, „ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret aut verberaret.“ cf. Liv. II, 8.⁴⁾ Nihilominus discordiae in dies ingravescentes sedari non poterant, causamque videntur fuisse novae dictatoris (cf. Zonar. VII, 13.) dignitatis instituendae (a. U. 253), nam apud Lydum de Magg. 1, 38. haec legimus: *Πρῶτος δικτάτωρ Τίτος Μάρκιος* (legendum est *Αάρονιος*: Liv. II, 18. Cic. de rep. II, 32, Eutrop. I, 12.) ὁ τὸν πρώτους ἀνάτονς Τίτον καὶ Βαλέριον αὐθις

1) Liv. III, 5. His temporibus nondum consulem, sed praetorem appellari mos fuit.

2) Liv. II, 1, 7. Libertatis originem inde magis, quia annum imperium consulaire factum est, quam quod diminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres.

3) Montesquieu: (*Considérations sur les causes de la grandeur etc.* chap. VIII:) Les patriciens, voulant empêcher le retour des rois, cherchèrent à augmenter le mouvement, qui était dans l'esprit du peuple; mais ils firent plus qu'ils ne voulurent: à force de lui donner de la haine pour les rois, ils lui donnèrent un désir immoderé de la liberté.

4) Dionysii verba haec sunt: Εάν τις ἀρχων Ῥωμαίων τινὰ ἀποκτείνειν ἢ μαστιγοῦν ἢ ζημιοῦν εἰς χρήματα θέλῃ ἐξεῖναι τῷ ιδιώτῃ προκαλεῖσθαι τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τὴν τοῦ δῆμου κρίσιν, πάσχειν δὲν τῷ μεταξὺ χρόνῳ μηδὲν ὑπὸ τῆς ἀρχῆς, ἵνας ἀν ὁ δῆμος ἴπειτο αὐτοῦ ψηφίσηται. cf. Plut. Publ. cap. 11. Walter, Röm. Rechtsgeschichte p. 83.

προαγαγόντες δὲ γενουμένης καὶ τῶν ὑπατενούσαντων ἀναχωρησάντων ὁ δικτύωρ ἔτερος ἀντί ἐκείνων προεβάλετο καλάνδαις Σεπτεμβρίαις. Veruntamen cum bellum cum Tarquinis gereretur, patres plebi faverunt, sicut dedicatione templi Mercurii, plebeiorum in primis numinis,⁵⁾ et Signia colonia iterum dedueta, et dénum metu Latinorum et factionis Tarquiniorum remoto iuriae a primoribus fieri cooptae sunt.⁶⁾

Quae cum ita se haberent res, civitati quaedam quasi procella seditionis videbatur imminere, praesertim si addideris, plebem non solum propter injurias odio in patres ferri, sed etiam potissimum propter nexos ob aes alienum.⁷⁾ Plebeji enim propter perpetua bella, in quibus suo sumptu armatis pugnandum erat, impediti, quominus agros sine dubio non semel ferro ignique hostium devastatos colerent eaque quae ad usum vitae pertineant, acquirerent, cum his rebus in maximas venirent domesticas angustias, coacti erant, ut pecunias a civibus divitissimis mutuas sumerent, qui eas saepe iniquissimo fenore plebi crederent versuramque facerent. Fenus quidem legibus duodecim tabularum vetitum erat, sed quam saepe impune et qua ratione transcendebantur prohibita leges de fenore denuo latae renovataeque dilucide demonstrant. Qualis autem fuerit conditio pauperis plebis ante leges commemoratas, quis est, qui in dubium vocare possit? Profecto durissima jam solum ob nexum.⁸⁾ In tali

5) Heffter: Mythologie der Griechen und Römer p. 557.

6) Liv. II. 31, 6. Eo nuntio (mortis Tarquinii) erecti patres, erecta plebs. Sed patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia: plebi, cum ad eam diem summa ope inservitum erat, injuriae a primoribus fieri cooperunt.

7) Liv. II. 23. Civitas secum ipsa discors, intestino inter patres plebemque flagrabat odio, maxime propter nexos ob aes alienum.

8) Nexus vocatur, ut verbis Varronis VII. 105. utamur, liber, qui suas operas in servitutem pro pecunia quadam (sic legit O. Müller e cod. Paris.) debebat dum solveret, ut ab aere obaeratus. Sed etiam ritus est vendendi (Ernesti Clav. Cic. s. v.) ex jure Quiritium per aes et libram, praesentibus quinque testibus et libripende, quo vendor obligatur ad evictionem praestandam. Nexus autem usque eo, quoad non addictus erat, in libertate versabatur. Et sic quidem leges quoque XII. tabb. praecepit his verbis: „Nexo solutoque idem jus esto.“ At si tempore statuto obligationem non poterat solvere, addicebatur creditor, cui debitorem in quandam quasi servitutem abducere licuit. Tum addictus in aedibus creditoris aes alienum opera sua compensare debebat, quo facto libertatem recuperare tribunque recipere potuit. Addictus est enim non idem atque is, qui in mancípio vivit, ut Göttling. Römische Staatsverf. p. 423. censem, nam si res ita se habuisset, nexus minimum capitis deminutionem passus esset. De qua re unum Quintilianum mihi liceat testem citare, qui in Inst. Orat. libro VII. 3. 27. differentiam, quae est inter servum addictumque, sic definit: „Servus cum manumittitur, libertinus, addictus recepta libertate, ingenuus; servus invito domino non consequetur; ad servum nulla lex pertinet; addictus legem habet. Propria liberi, quae nemo habet, nisi liber, praenomen, nomen, cognomen, tribum; habet haec addictus.“ cf. Walter: Röm. Rechtsgeschichte p. 520. De ratione autem in

igitur rerum statu cum plebs fremeret, se foris pro libertate et imperio dimicantem, domi a civibus captam et obpressam esse, tutioremque in bello quam in pace, inter hostes, quam inter cives libertatem populi esse (Liv. II, 23. 2.), odium invidiaeque plebis, sua sponte gliscentia, insigni unius calamitate accensa sunt, quam Livius l. c. exposuit. Secuta est secessio plebis in montem sacrum L. Sicinio Belluto auctore a. U. 260, vel ut alii volunt in Aventinum. (Piso ap. Liv. II, 32, 3. in utrumque Sallustius Hist. lib. I. frag.: „Plebes armata montem sacrum atque Aventinum insedit;“ Cic. de rep. II. 33: „Plebs montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit.“) Facta autem est mense Septembri. Dion. Hal. VII. 1. δῆμος ἀπέστη τῶν πατριώτων μετὰ τὴν μετοπωριὴν ἰσημερίαν, ὡπ' αὐτην μάλιστα τὴν ἀρχὴν τοῦ σπόρου. cf. Niebuhr. R. G. I, p. 632.

Hasce igitur plebis discordias M. Valerius dictator sedavisse videtur, quod Cicero in Bruti cap. 14. testatur. „Videmus enim, inquit, M. Valerium dictatorem dicendo sedavisse discordias eique ob eam rem honores amplissimos habitos et eum primum ob eam ipsam causam Maximum esse appellatum.“ Alii, inter quos Livius II, 32, 8. Menenium Agrippam, virum facundum et plebi carum, nominant, qui fabulam de ventre et membris narrans et hinc comparans, quam intestina corporis seditio similis esset irae plebis in patres, mentes hominum flexisse dicitur. Agi deinde de concordia patrum et plebis coeptum est eique a patribus est concessum, ut magistratus crearentur, qui sacrosanti essent, quibusque auxiliu latio adversus consules esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret. Hisce autem magistratibus plebejis⁹⁾ initio nihil nisi jus auxiliandi concessum esse, non solum ex Livii loco II. 33. 1. perspicitur, sed etiam a Dionysio Hal. confirmatur, qui VI. 87. Brutum haec postulantem facit: Συγχωρήσατε ἡμῖν ἀρχοντας ἀποδεικνύαι καθ' ἔκαστον ἐνιαυτὸν ἐξ ἡμῶν ὅσους δή τινες, οἵτινες ἄλλον μὲν οὐδενὸς ἔσονται κύριοι, τοῖς δὲ δικαιονμένοις ἢ κατισχυομένοις τῶν δημοτῶν βοηθήσονται, καὶ οὐ περιόψονται τῶν δικαίων ἀποστερούμενον οὐδένα. Accedunt loci ejusdem Dionysii VII, 17: μηδὲν ὑπὸ τῆς βούλῆς συγχωρήσθαι τοῖς δημάρχοις ἐξω τοῦ βοηθεῖν τοῖς δικαιονμένοις τῶν δημοτικῶν, et VII, 52: δύο ταῦτα συγχωρήματα περιέχονται. ἀγεῖσθαι τοὺς δημοτικὸν τῶν χρεῶν καὶ τὴν ἀρχὴν τίγρδ' ἀποδεικνυσθαι καθ' ἔκαστον ἐνιαυτὸν ἐπικυρώσας ἐνεκά τῶν κατισχυομένων καὶ κωλύσεως, ἄλλο δὲ παρὰ ταῦτα οὐδέν¹⁰⁾.

Tribuni autem plebis nomen a veteribus tribunis, qui post creatos tribunos plebis curatores tribus¹¹⁾ vocantur, mutuati sunt, voce „plebis“ tantum addita, neque

liberando addicto adhibita videoas, quae Gajus in institutionum lib. III, 174. dicit. Demum lege Petillia vel Poetelia Papiria a. U. 428 cautum est in posterum, ne cives Romani necterentur.

9) Sic a scriptoribus vett. saepe vocantur, sed revera non sunt magistratus. Liv. II, 56. 43. privatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu. cf. Plut. qu. Rom. 81. Zonar. VII, 15.

10) Hoffmann: Der römische Senat zur Zeit der Republik. Berl. 1847. p. 112. Ann. 3.

11) Varro de L. L. V, 86. Grut. 104, 6. Orelli 3097. bis hon (ore) in curat (ione) functus. App. bell. civ. III, 23. Julian. or. III. p. 241. ed. Paris. 1630. ἐπιμεληταὶ τῶν φυλῶν.

probanda est etymologia apud Isidor. Origg. IX, 4. Sic quoque rejicienda est sententia Soldani et Schirmeri¹²⁾, tribunos plebis eosdem ac curatores tribus et tribunos militares vel potius cum his connexos ab hisque ortos fuisse. De numero tribunorum deque nominibus primorum tribunorum scriptores inter se dissentunt: Livius enim narrat (II, 33.) duos tribunos plebis creatos esse,¹³⁾ quos C. Licinium et L. Albinum nominat, qui sibi tres collegas cooptaverunt.¹⁴⁾ Dionysius VI, 89. L. Junium Brutum et C. Licinium Bellutum citat: *"Αρχοντας ἐνιαυσταῖοντος ἀποδεικνύοντος τὸν περὶ Λεύκιον Ιούνιον Βροῦτον καὶ Γάϊον Στιγάνιον* (cf. Sigonum ad Liv. I. l. ed. Drak. scripturam Livianam „Licinium“ adversus Robortellum vindicantem) *Βελλοῦτον*, οὐς καὶ τέως εἶχον ἡγεμόνας καὶ ἔτι πρὸς τούτοις Γάϊον καὶ Πόπλιον Αιγινίτον καὶ Γάϊον Ιουσίλιον Πιονγαρόν. Itaque Livius et Dionysius in eo videntur consentire, duos tribunos creatos esse ad eosque accessisse tres collegas. Et Cicero quoque in Corneliana (frag. apud Asconium p. 75. et 76. or.) duos tantum tribunos creatos esse censet.¹⁵⁾ Nam: „Tanta, inquit, in illis virtus fuit, ut anno XVI. post reges exactos propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi restituerent, duos tribunos crearent.“ Ad quem locum Asconius Pedianus haec annotat: „Ilo tempore de quo loquitur, quod fuit post XVI annos quam reges exacti sunt, plebs sibi leges sacratas non restituit (nunquam enim tribunos plebis habuerat), sed primum eos constituit. Numerum quidem annorum post reges exactos diligenter posuit. Ceterum

12) Soldan. de orig. caus. et primo tr. pl. numero. Hanov. 1825. Schirmer, de trib. potest. orig. ejusque ad XII. tab. progr. Toruni 1826. De tribunicia potestate conferendi sunt quoque inter alios: Beaufort, la république rom. IV, 7. Adam, Röm. Alt. I. p. 194—204. J. H. Cyfveer, de trib. potestate, Lugd. Bat. 1798. Harencarspel, de propria reip. Rom. condit. in trib. pleb. inst. Traj. ad Rhen. 1820. Rubino, de tribunicia potestate. Creuzer, Röm. Antiq. Leipzig 1829. p. 207—218. Niebuhr. I, p. 680—695. Hüllmann, Röm. Grundverf. Bonn 1832, p. 207—244. Göttling, Gesd. der röm. Staatsverf. Halle 1840. p. 287—296. Wittich de reip. Rom. forma etc. Lips. 1834. p. 21—84. Höck I, 1. p. 17. seq. Bender de intercess. trib. I. et II. Regiom. 1842 et 1850. E. Laboulage, essai sur les lois crim. Paris 1845. p. 65—72. A. Hennebert, hist. de la lutte entre les patr. et les pleb. 1845. p. 42. sq. Becker, röm. Alt. II, 2. p. 247—291. 3. (Marquardt) p. 253. sq. Pauly Encycl. VI. p. 2100—2116. Walter, röm. Rechtsgeßd. I. p. 154. seq. 288. seq. 346. seq.

13) Inierunt tribunatum decimo die mensis Decembbris. Dion. Hal. VI, 89. τὴν δημαρχικὴν ἐξουσίαν παρέλαβον ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ τῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων ὥσπερ καὶ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γίνεται.

14) Creabantur initio comitiis centuriatis, quod Dion. Hal. IX, 41. curiatis factum tradit, post legem Publiliam a. U. c. 283 comitiis tributis. Primis temporibus licuit tribunis cooptare collegas, quod postea lege Trebonia a. U. 448 velutum erat.

15) Sic quoque J. Lydus de magg. I, 38. τῷ ἐπτακαιδευτῷ ἔται τῶν ὑπάτων δύο τὸ πλῆθος προειρίσατο δημάρχους.

quidam non duo tribunos plebis sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. Sunt tamen qui eundem illum duorum numerum quem Cicero ponunt, inter quos Tuditianus et Atticus Liviusque noster.¹⁶⁾ Ex Livio autem II, 44. (Dionys. IX. 2. 41.) perspicitur, jam a. U. 274 quinque fuisse tribunos, donec plebi a. U. 297 decem tribunos, binos ex singulis classibus, creare licuit.

Nos quidem facere non possumus, quin Asconio assentiamur, leges sacratas tum demum latas esse, ut tribuni, quibus nihil praesidii erat, nisi quod leges ferebant, quique, ut supra commemoravimus, tantum auxilii causa constituti erant, tuti essent ab odio injuriaque patrum. Quamvis infitias ire nolimus, alias quoque leges sacratas appellatas esse, tamen dubitamus, num merito cum Ernestio in Clav. Cic. s. v. legg. sacr. ante illas in monte sacro perlatas leges, lex Valeria de provocatione sacrata appellari possit. Nam hisce in monte sacro perlatis legibus sacratis sancitum est, ut et plebs haberet tribunos et ut hi sacrosancti essent. Quam rem maxime illustrant Dionysii verba VI, 89: Ό δὲ Βροῦτος ἐπελησίαν συναγαγάντων συνεβούλευε τοῖς δημόσιαις ιερὰν καὶ ἀσυλον ἀποδεῖξαι τὴν ἀρχὴν, νόμῳ τε καὶ δόκῳ βεβαιώσαντας αὐτῇ τὸ ἀσφαλές. Ἐδόκει ταῦτα πᾶσι, καὶ γράφεται πρὸς αὐτοῦ καὶ τῶν ἀρχόντων ὅδε δὲ νόμος, ὅτι δῆμαρχον ἄξοντα, ὥσπερ ἔνα τῶν πολλῶν, μηδεὶς μηδὲν ἀναγκαζέων δοῦλον, μηδὲ μαστιγόντω, μηδὲ ἐπιταπέτω μαστιγοῦν ἑτερον, μηδὲ ἀποκτινύτω, μηδὲ ἀποκτείνειν κελενέτω. Ἐὰν δὲ τις τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἐξάγιστος ἔστω καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δῆμητρος ιερά. καὶ δὲ κτενέας τινὰ τῶν ταῦτα εἰργασμένων, φόρουν καθαρὸς ἔστω. καὶ ἵνα μὴ μηδὲ εἰς τὸ λοιπὸν τῷ δῆμῳ ἔξοντα γένηται καταπλανσαι τόνδε τὸν νόμον, ἀλλ' εἰς πάντα τὸν χρόνον ἀκτίνης διαμεινῇ, πάντας ἐπάχθη Ῥωμαίον δύσσαι καθ' ιερῶν (Fest. v. sacratae et sacer mons p. 318. M. Dion. VII, 43. Cic. de off. III, 31.), ἢ μὴ χρήσεσθαι τῷ νόμῳ καὶ αὐτοὺς καὶ ἔγγονους τὸν ἀεὶ χρόνον ἀρά τε τῷ δόκῳ προσετεθη, τοῖς μὲν ἐμπεδοῦσι τοὺς θεοὺς τοὺς οὐρανίους ἡλεως εἶναι, καὶ δαιμονας τοὺς καταχθονίους τοῖς δὲ παραβατοῦσιν, ἐναντία καὶ τὰ περὶ θεῶν γήγενεσθαι, καὶ τὰ περὶ δαιμόνων, ὡς ἄγει τῷ μεγίστῳ ἐνόχοις.¹⁶⁾

16) cf. de sacratione capit. Cic. pro Balbo 14. Fest. l. l. p. 318. (leges vocantur etiam obsctae. Fest. s. v. obsum p. 189. M. Paul. Diac. p. 188.) Conferas etiam de legibus sacratis Ernestium in Clavi Cic. — Hoc loco nobis licet commemorare una cum tribunis etiam aediles plebejos duos creatos esse, qui auxilio essent tribunis atque in consilio iis adessent eaque quea ad communem utilitatem plebejorum, ad mercatum atque victum, ad religionem et cultum deorum plebejorum, imprimis Cereris, pertinerent, curarent. Qua de re Dionysius VI, 90. Ἐδείθησαν ἔτι τῆς βουλῆς ἐπιτέλους οφίσιν ἄνδρας εἰς τῶν δημοτικῶν δίονας ἐκαστον ἐναντὸν ἀποδεκτίναι τοὺς ἀπηρτήσοντας τοῖς δημάρχοις ἔσων ἀν δέονται, καὶ δίκας, ἃς ἀν ἐπιτρέψωται ἐπεῖτοι, ποιοῦντας, ιερῶν τε καὶ δημοσίων τόπων καὶ τῆς κατὰ τὴν ἀγορὰν εὐτηρίας ἐπιμελησομένους. (cf. Zonar. VII, 15.) Num hi quoque aediles plebeji sacrosancti eaque ac tribuni fuerint, incertum videtur quaestioque erat jam inter antiquos juris interpretes. Erant enim, qui illud

Leges igitur sacratae in monte sacro perlatae finitae esse et quasi completae lege Icilia videntur, quam Dionysius VII, 17. his verbis memoriae prodidit: Ἡν τοιόσδε δύναμις. Δημάρχου γνώμην ἀγορεύοντος ἐν δήμῳ μηδεὶς λεγέτω μηδὲν ἔργαντον. μηδὲ μεσολαβεῖτο τὸν λόγον. έὰν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, διδότω τοῖς δημάρχοις ἐγγυήτας αἰτηθεὶς εἰς ἔκπισιν ἡς ἂν αὐτῷ ἐπιθῶσι γῆματας. Quam legem Cicero et recte quidem in oratione pro Sestio c. 37. ad sacratas leges pertinere censem. Haec lex vulgo lata esse dicitur a. U. 262. Spur. Icilio trib. plebis rogante, qua de re autem magna est inter viros doctos dissensio. Niebuhrius enim II. p. 263. putat, hanc legem non ante legem Publiliam latam, ante quam nulla lex e rogatione quadam tribunicia exoriri poterat et post quam demum omnes ad communem salutem spectantes res in concione plebis agi poterant. Tribuit Sp. Icilio tribuno (Dionys. VII, 17.) qui in eo numero est, qui primi comitiis tributis a. U. 284. creantur. Itaque nihil obstat, Niebuhrius pergit, quominus Sp. Icilium illum eundem esse, qui legem rogavit, arbitremur, eamque ob causam legem non ante annum 284. latam esse posse. Cum autem haec lex cum discordiis componatur M. Coriolano auctore exortis, non est dubitandum, quin tota de Coriolano narratio non in annum 266. U. c. cadat, sed demum post legem Publiliam ea, quae de Coriolano narrantur, agi potuerint. At mihi quidem haec V. Cl. sententia non videtur probata respiciendi, Dionysium profecto legum ordinem non suo arbitrio judicioque, sed bonos sequentem fontes observasse. Lege autem Publilia a. 283. tributis comitiis non datum est jus legum ferendarum, sed tantum licitum est plebi, magistratus plebejos tributis comitiis creare.¹⁷⁾ Niebuhrius quidem putat, (II. p. 246) hac lege etiam potestatem plebi datam esse, de omnibus rebus ad communem usum spectantibus deliberandi (cf. Walterum p. 87.) consiliumque faciendi. Sed hanc rem ego quidem in dubium vocare audeam. Deliberare enim certe poterant neque negari

plebiscitum, ut, qui tribunis plebis, aedilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput sacrum esset, familia ad aedem Cereris, Liberi Liberaeque venum iret, sic interpretarentur, ut negarent, quemquam sacrosanctum esse: sed eum, qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri. Id hoc argumento confirmari putabant, quod etsi non jure fieret, tamen aediles prehendebantur ducebanturque a majoribus magistratibus. Tribunos autem solos vetere jurejurando plebis, cum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse arbitrabantur. (Liv. III. 55. 9. et not. Duk.) Nomen iis aedilibus sine dubio ab aede Cereris datum est. Nieb. I. p. 690. (Fest. s. v. aedilis: quod facilis ad eum plebi aditus esset. cf. Varr. de L. L. IV, 14.) In aede Cereris sine dubio ab initio plebiscita servabant (Pomp. de orig. jur. §. 21. in Dig. I, 2. 2.) postea ab anno U. 305. etiam senatusconsulta, ne corrumperentur neve delerentur ad perniciem plebis.

17) De efficacia hujus legis deque vi in ea sita recte Livius II, 56. 3. Haud parvae res sub titulo prima specie minime atroci ferebatur; sed quae patricis omnem potestatem per clientium suffragia creandi, quos vellent, tribunos auferret.

potest, plebem auctoritate paulatim crescente etiam de rebus communibus, si quae graviores viderentur, deliberasse placitaque rogationum forma a tribunis ad senatum lata esse, qui quae rogaverant, aut probare aut improbare poterat: sed id dubium videtur, num potestas legum ferendarum jam tum tribubus concessa sit. Loco enim Dionysii IX, 43, quo usus Niebuhrius II, 246. est, commemoratur quidem haec rogatio, sed nusquam reperitur, legem perlatam esse.¹⁸⁾ Et quid clarus est, quid magis repugnat huic sententiae Niebuhriana, quam ipsius Livii (III, 31.) verba: „Nec haec priorum (Romilii et Veturi coss. a. U. 299) calamitas consulm segniores novos fecerat consules, et se damnari posse ajebant, et plebem et tribunos legem ferre non posse?“ Porro non videtur necesse, hanc legem in Publilia, quasi in fundamento quodam nitentem latam esse. Ut enim in rebus tribuniciis plebejisque explicandis atque amplificandis non quaedam quasi regula atque norma invenitur, sed ex contrario constat, plebem jus quoddam praeoccupasse, quod postero tempore a patriciis ei concessum est, discordias civiles sedaturis, sic quoque lex Icilia nihil nisi usurpatio (ut hoc verbo utar codicis Justiniane) quaedam tribunorum est, quae legum sacratarum quasi complementum videtur. De anno ergo, quo legem Iciliam latam esse Dionysius testatur, addubitemus non est necesse. Discordias igitur, quae Marcio Coriolano auctore exortae sunt, causam fuisse arbitror, quod Spurius Icilius a. U. 262 hanc legem tulit, qui non solum a. U. 262. sed etiam a. U. 284, fortasse etiam a. U. 273. cf. Dionys. IX, 1. 2. tribunus esse poterat, quamquam apud Livium II, 43. e codicibus Licinius pro „Icilius“ legitur, qua de re conferas quae V. D. Duker a. h. l. diligenter disseruit.

Hisce igitur legibus, quibus lex quoque antiqua de legibus sacratis, a Cicerone in oratione pro M. Tullio p. 47. commemorata, quae jubeat impune occidi eum qui tribunum plebei pulsaverit, annumeranda videtur, sancitum erat, ut tribuni plebis sacrosancti essent. Quam ob rem munere fungentes in judicium vocari non poterant¹⁹⁾

18) cf. Peter: Epochen der Verfassung der römischen Republik p. 34. 94. Pauly Encyclop. IV. p. 993. et II. p. 547.

19) Quae Valerius Max. VI, 1, 7. narrat incerta videntur, cum Plutarchus Marc. 2. C. Scantinium Capitolinum trib. pl. reum vocet aedilem. Bis tantum reperimus tribunos non fuisse munitos potestate sacrosancta. Apud eundem enim Valerium VI, 5. 4. legimus, collegium tribunorum, cum L. Cotta tr. pl. fiducia sacrosanctae potestatis creditoribus suis nollet satisfacere, decrevisse: „si neque solveret pecuniam, neque daret cum quo sponsio fieret, appellantibus se creditoribus auxilio futuros.“ Iniquum ratum majestatem publicam privatae perfidiae obtentui esse. Et Livius ep. XLVII. narrat, plebem tribuno multam dixisse, quod „cum pontifice Maximo injuriose contenderat.“ Porro novem tribuni in flammis diem obiisse dicuntur supremum, quod autem incredibile est auditu. (Val. Maxim. VI, 2, 3. Diod. XII, 25. Dio Cass. frag. Mai. p. 152. Zonar. VII, 17. Fest. p. 174. M. Niebuhr. II, p. 464 sqq.

(Appian. bell. civ. II, 138.), quamvis leges sacratas, tempestate civilium discordiarum exorta, interdum neglectas esse non sit infitiandum. Gracchos tantum commemororo, M. Livii Drusi caudem, Antonii et Cassii fugam ad C. J. Caesarem Cnaeumque Genucum per sicarios interfectum. Itaque cum legibus sacratis muniti essent, accidit, ut paucatim potestatem non solum confirmarent sed etiam augerent. Initio autem nullum aliud iis jus erat, nisi jus auxilii, quod singulo civi²⁰⁾ ferebant, cuius rei testes jam supra citavi Livium et Dionysium: conferas quoque Ciceronem pro Quintio 20, 63: „per eum magistratum qui auxilii causa constitutus est“ (de legg. III, 7). Sunt quidem qui putent jam ab initio tribunos omnino jure intercedendi usos esse, uti Bender I, p. 2.²¹⁾, quibus ego quidem assentiri nequeo, nam demum post leges XII. tabularum tribunos plebis senatusconsultis intercessisse²²⁾ constat. Jure enim intercedendi senatusconsultis primus usus est C. Canulejus a. U. 309, qui in senatu delectum impeditiebat, dicens, „nequicquam territando consules avertere plebem a cura novarum legum: nunquam eos se vivo delectum habituros, antequam ea, quae promulgata ab se collegisque essent, plebes scivisset“ (Liv. IV, 1.). Et ab hoc anno saepe reperitur, tribunos non solum jure auxiliandi usos delectum impedire, sed in senatu ipsis senatusconsultis intercedere. Sic Livius IV, 6. (eodem anno 309.) narrat: „Consules, cum per senatum intercedentibus tribunis nihil agi posset, consilia principum domi habebant:“ et apud Dionys. XI, 54. legimus, tribunos in senatu minatos esse, se omnibus senatusconsultis adversaturos esse, lege Canuleja repudiata: καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἐγκυώσεσθαι τοῖς δόγμασι τῆς βουλῆς, καὶ οὐδὲν ἔάσειν δόγμα περὶ οὐδενὸς κυρωθῆναι πράγματος, ἐὰν μὴ τὸν ὑπ’ αὐτῶν εἰσφερόμενον προβούλευσην νόμον. Sic Livius IV, 43. ad annum 333: „Cum senatus consules quam tribunos creari mallet, neque posset per intercessiones tribunicias senatusconsultum fieri; respublica a consulibus ad interregnum, neque id ipsum (nam coire patricios tribuni prohibebant) redit;“ — et ad annum 340: „Quum senatusconsultum fieri tribuni plebis non paterentur, iidem intercederent consularibus comitiis, res ad interregnum rediit“ (Liv. IV, 50).²³⁾ Si autem ante illud tempus tribuni videantur omnino magistratui vel senatui impedimento esse, non revera hae intercessiones sunt vocandae: etenim tantum jure auxiliandi singulo utuntur, quod ejusmodi erat, ut tribuni moram quidem afferrent impedimentoque essent, sed ipsi agere non possent:²⁴⁾ quamvis

20) Initio tantum plebi: Liv. II, 35. III, 49. VI, 37. Cic. de legg. III, 3. Gell. XIII, 12. Dion. VI, 87. VII, 17. 22. 52. X, 4. 34. App. b. c. I, 33. Tab. Lugd. apud Grut. p. 502.; postea etiam patricii tribunorum imploraverunt auxilium. Liv. III, 13. 56. VIII, 33. XXXVIII, 52.

21) Bender: de intercess. trib. I. Regiom. 1842.

22) De intercessionibus in comitiis habendis h. l. nihil dicendum est, cum in postera cadant tempora.

23) cf. Hoffm. I. I. p. 123.

24) Plut. Cat. min. 20. Τὸ γὰρ ἰσχυρὸν ἡ ἀρχὴ ποὺς τὸ καλένει ἔχει μᾶλλον, ἢ ποὺς τὸ πράττειν. καὶ πάντες οἱ λοιποὶ παρ’ ἔνα ψηφίσωνται, τοῦ μὴ θέλοντος μηδὲ εἴητος τὸ κράτος ἔστι.

intelligi necesse sit, in tribunicia potestate, quae initio tantum impedire poterat, invitamenta inesse, quibus ad agendum postea moveantur tribuni. Nam vi auctoritateque tribuniciae potestati insita in dies crescente tribuni non solum tutores singulorum civium plebejorum adversus injurias patriciorum manebant, sed etiam mox universae plebis dignitatem tuebantur rogationibus et ad publica et ad privata plebis jura pertinentibus; porro non solum potestate utebantur ad ipsam augendam, sed etiam ad jura initio non concessa arroganda. Tum demum loquendum est de jure intercedendi tribunorum. Quod si cui non fuerit probatum reputanti tribunos collegis intercessisse, satis erit commemorasse, hujusce intercessionis rationem non esse habendam, cum apud Romanos unicuique liceret magistratui collegis intercedere, eujus sententia semper vicit. Testes velim mihi liceat citare Appianum bell. civ. III, 50. „Εστι ἐν τοῖς ἀρχοντούσι οἱ κωλῦντες ἀεὶ δυνατώτερος, et Ciceronem de legg. III, 18: „Parere jubet (lex) intercessori, quo nihil praestantius; impediri enim bonam rem melius, quam concedi malae.“ Itaque hanc normam etiam in collegio tribunorum jam primis temporibus adhibitam esse, non est infitandum et his locis confirmatur: Dionys. X, 31: Οὐδὲν τῶν πραττομένων ὑπὸ τῆς ἀρχῆς ἐκετηνης ἐπισχεῖν ή̄ κωλῦσαι τοῦ ἀλλων τινὶ ἔξεστιν, ἀλλ' ἐτέρου δημάρχον τοῦτ' ἐστὶ τὸ κράτος; et Liv. II, 44: „Victam tribuniciam potestatem priore anno, in praesentia re ipsa, exemplo in perpetuum, quando inventum sit suis ipsis viribus dissolvi. Neque enim unquam defuturum, qui et ex collega victoriam sibi et gratiam melioris partis bono publico velit quaesitam. Et plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxilium consulum paratos fore: et unum vel adversus omnes satis esse:“ et II, 56: „Huic actioni cum summa vi resisterent patres; nec, quae una vis ad resistendum erat, ut intercederet aliquis cui ex collegio adduci posset.“ Qui loci etiam sententiam Niebuhrrii II, p. 494, cui Becker p. 275. assentitur, refellunt, censentis, usque ad medium quartum seculum in tribunorum collegio plurimum viciisse sententias. (cf. Dionys. IX, 1.) Immo is, qui intercedit (cf. Plut. Cat. min. 20. supra cit. not. 24.), itaque etiam plures intercedentes vincunt. Quae Dionysius X, 31. (a. 298. U. c.) prodidit hoc anno inter tribunos convenisse, ut plurimum vincerent sententiae, non possunt esse argumento. cf. Schneidewin. Philolog V, 1.

Usque ad leges XII tabularum ergo omnino non intercedebant, ut universae plebi usui essent, solumque jus iis erat auxiliandi. At forsitan quispiam dixerit, apud Dionysium X, 31. claris legi verbis, tribunos, cum a. U. 298 a senatu postularent, ut lex Icilia de Aventino publicando comprobaretur et ferretur, jus convocandi senatum et referendi vindicasse. Πολιτικὰ, Dionysius scribit, προσκρούσματα τοῖς δημάρχοις πρὸς τὸν ὑπάτους συνέστη πάλιν, ἐξ οὐρανοῦ οἱ δημάρχοι παρασπάσαντες τι τῆς ὑπατικῆς δυναστείας. Τὸν μὲν γάρ ἐμπροσθεν χρόνον ἐκκλησίας μόνον ἦσαν οἱ δημάρχοι κύριοι, βουλὴν δὲ συναγαγεῖν ή̄ γνώμην ἀγορεύειν, οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς, ἀλλ' ἦν τῶν ὑπάτων τοῦτο

*τὸ γέρας. οἱ δὲ τότε δῆμαρχοι πρῶτον συγκαλεῖν ἐπεβάλοντο τὴν βουλὴν, Ἰκιλλον τὴν πεῖραν εἰσηγησαμένον, δις ἡγεῖτο μὲν τοῦ ἀρχετον. Plures viri docti, qui de his rebus disseruerunt, veluti Becker: Römische Alterth. II, 1. p. 277. Kreuzer: Abriß der röm. Antiquitäten p. 213. Göttling: Röm. Staatsverfass. p. 293. Rubino: de trib. potest. p. 44; sed neque his, neque Niebuhrum possum assentiri, qui (II, p. 339, cf. p. 436.) loco Dionysii quasi fundamento usus, legem quandam Iciliam censem latam esse, qua consules coacti essent, ut unumquodque iis a tribunis datum plebiscitum ad senatum referrent, et qua tribunis licitum esset, ejus defendendi causa in senatu verba facere. Dionysius non legem quandam com memorat, sed narrat tantum, Iciliū (L. Iciliū Rugam? Pauly. IV, p. 49.) primum fecisse periculum senatus convocandi. Si exstitisset lex hujus argumenti, prorsus silentio non praeterita esset a scriptoribus. Dionysii autem verba non sic accipienda videntur, ipse enim in eodem capite haec addit: *Τοῦτο τὸ πολύτεντα εἰσάγων διδῆμαρχος τοῖς τότε ὑπάτοις καὶ τῇ βουλῇ προσῆνει, δεόμενος τὸν ἐπ' αὐτῷ γραφέντα νόουν προβούλευσαι τε καὶ εἰς τὸν δῆμον ἔξενεγγένειν.* Itaque, si jus habuissest senatum convocandi, non adiisset precibus consules, sed ipse senatum convocasset. Cui autem jure potestatis licet, senatum convocare, ei quoque jus est referendi in eo. Sed his temporibus, quibus nondum lieuit tribunis jure potestatis suae consiliis senatus interesse, ut postea ostendemus, nullo modo illud jus iis erat, neque facile esse probatu videtur. Quomodo autem Icilius effecerit, ut consules, qui initio ejus postulatum repudiabant atque denegabant, ei morigerarentur, e Dionysio perspici potest. Icilius, quem primum (cf. Walterum p. 88—89.) Dionysius periculum fecisse narrat senatus convocandi, vir audax erat atque intrepidus neque indisertus pro Romano: *δραστήριος δὲ ἦν ἀνὴρ καὶ ὡς Ρωμαῖος εἰπεῖν οὐκ ἀδύνατος.* Callide offenderat consulum animos, qui jusserant, viatorem tribuni a lictore repellere. Tribunus igitur prehendit lictorem et consules etiam si contumelia affecti erant, tamen nihil contra facere audentes, praesertim cum vereri possent, ne ipsis tribuni diem dicent, iis morem gerunt. Et sic quoque factum est, ut Icilius ad senatum de iis, quae voluit, ipse referret, unde Dionysius errore adductus est, ut putaret, jus referendi ab hoc tempore fuisse tribunis. Tribunis autem, venia a consulibus data, lieuisse in senatu loqui, quis est, cui mirum videatur? Dion. X, 13: *Ταῦτ' εἰπόντος τοῦ ὑπάτου, κραυγὴ τε καὶ πολὺς ἔπαινος ἐξ τῶν περόντων ἐγένετο· καὶ οὐδὲ λόγου τοῖς δημάρχοις ἔτι μετειδιδόντες διέλυσαν τὸν σύλλογον.* cf. Hoffmann: Röm. Senat p. 118. sq. Drumann. Geschichte Roms III. p. 443. sq.*

Primis igitur usque ad leges duodecim tabularum temporibus tribunis tantum jus erat auxiliandi. Restat, ut ad hoc transeamus videamusque, quomodo hoc jure usi fuerint commodo utilitatique singulorum e plebe servientes. Hoc enim jus initio non fuisse adhibendum ad impedienda ad omnes cives spectantia edicta magistratum aut

senatusconsulta, ex iis, quae jam a nobis allata sunt, perspicitur. Singulo autem e plebe auxilio erant non solum adversus unamquamque magistratum injuriam (Liv. IX, 34. Dion. IX, 1.), qua de re, ut statim possent ferre auxilium, ne unam quidem noctem ex Urbe abesse debebant, exceptis feriis Latinis (quod Gellius XIII, 12. 9. testatur: „propterea jus abnoctandi ademptum; quoniam ut vim fieri vetarent assiduitate eorum et praesentium oculis opus erat.“ cf. Gell. III, 2. 11. Macrob. I, 3. Serv. ad Virg. Aen. V, 738. Dion. VIII, 87. Dio Cass. XXXVII, 43. XLV, 27. XLVI, 49. App. bell. civ. II, 31. Becker. p. 265. sq.), et fores aedium noctu non erant claudendae (Plut. quaest. Rom. 81); sed etiam praecipue in delectu habendo non vetantes, consules habere delectum, sed singulo auxiliantes, qua ratione delectum revera impediabant atque prohibebant (Liv. III, 11: „quemcunque lictor jussu consulis prehendisset, tribunus mitti jubebat“, Liv. III, 30: „ut scribi militem tribuni sinerent;“ IV, 53: „auxilioque tribuni nemo invitus sacramento diceret;“ XLII, 32: „tres et viginti centuriones — citati tribunos plebis appellarunt.“). Tali modo, jure auxiliandi freti, tribuni jam antea quam jus intercedendi adempti sunt, senatusconsulta delectum edicentia irrita fecerunt, cuius rei argumento inter multos nobis sit locus Dionysii X, 43: „Η βουλὴ τοὺς ἑπάτους τοῖς Τυρκλάνοις ἐψηγίσατο βοηθεῖν ἀμφοτέρους· οἱ δὲ ἑπάτοι στρατολόγται προθέντες ἐκάλουν τοὺς πολίτας ἀπαντας ἐπὶ τὰ ὅπλα. Ἐγένετο μὲν οὖν τις καὶ τότε στάσις, ἐναντιουμένων τῇ καταγραφῇ τῶν δημάρχων, καὶ τὰς ἐξ τῶν νόμων τιμωρίας οὐ συγχωρούντων ποιεῖσθαι κατὰ τῶν ἀπειθούντων. Ἔποιεῖ δὲ οὐδέν.“

Ut in delectu habendo sic etiam in conferendo tributo magistratibus erant impedimento, non conferentibus tributum auxilium pollicentes. („Edixerunt auxilio se futuros si quis in militare stipendum tributum non contulisset.“ Liv. IV, 60. V, 12. VI, 31.) In primis autem commemorandum videtur, tribunos civibus in judicium vocatis auxilio fuisse et in civilibus actionibus et in rerum capitalium quaestionibus, ita ut partim edicta judicis, qui vel errore vel animo iniquissimo injustam dixerat sententiam, aut qui in aliqua re peccaverat v. g. in litis contestatione, in satisdatione, ad nihilum redigerent, partim pro aequitate contra jus strictum dicerent sinerentque, civem tanta poena affici, quantam aequitas humanitasque pateret, partim etiam ira et studio ducti ut ventum quendam popularem quaererent. (Cic. in Vat. 14. 33: „Appellarisne tribunos plebis ne causam dices?“ Phil. II, 2. 3: „Non venirem contra injuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit.“) Sin autem tribuni reo auxilium promiserant, tota actio irrita facta est et demum tribuno magistratu abeunte denuo institui poterat, nisi tribuni quoque succedentes intercederent. Sed appellari debebant, priusquam auxilium pollicerentur (tribunum appellare Liv. XLIII, 16; alibi et quidem saepissime tribunos appellare vel collegium tribunorum appellare Cic. pro Quint. c. 7. in Vat. c. 14. Plin. H. N. XXI, 3. 6. et multis locis apud Livium III, 69. IX, 26. II, 55. etc.).

Tum primis temporibus in ipso judicio auxilii causa aderant, quod ex his Gellii verbis perspicitur, quae XIII, 12. 9. leguntur: „Tribuni antiquitus creati videntur non juri dicundo nec causis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis quibus praesentes fuissent, ut injuria quae coram fieret, arceretur.“²⁵⁾ Postea collegium tribunorum se congregabat plurimum in foro ad basilicam Porciam (Plut. Cat. min. 5.), ut causam cognoscerent (Liv. XLII, 32. sq. XXXVIII, 60). Partibus auditis (Cic. p. Quinet. 7. 29. Gell. XIII, 12. IV, 14.) et causa cognita (Gell. VII, 19.) delibera- bant tribuni (Liv. IV, 26. XXXVIII, 60), num auxiliarentur nec ne, et si omnes consentiebant, decretum fecerunt, quo de omnium sententia pronuntiatum est (Cic. Verr. II, 41, 100: — „tribunos plēbis hoc statuisse, idque de omnium sententia pronuntiatum esse, non videri Sthenium impediri edicto, quominus ei liceret Romae esse.“ cf. Liv. IV, 53.), se paratos esse ad opitulandum aut se denegare auxilium aut se ferre conditiones, quibus servatis judicibus non forent impedimento. (Exemplo sit locus Gellii VII, 19. „De ea re nostrum sententia omnium data est: Si L. Cornelius Scipio Asiaticus collegae arbitratu praedes dabit, collegae, ne eum in vincula ducat, intercedemus; si ejus arbitratu praedes non dabit, quo minus collega sua potestate utatur, non intercedemus.“ cf. Liv. III, 13.) Taliū decretorum, quae sine dubio aequē ac senatusconsulta in aedem Cereris deferebantur, quam ob rem non desperabantur, ut appareat ex Asconio pro Mil. p. 47: „ut ex actis ejus (anni) cognovi,“ et e Gellio VII, 19.: „ex annalium monumentis“ saepe fit mentio. Gell. IV, 14. VII, 19. Liv. III, 13. IV, 53. XXXVIII, 52. 60. Val. Max. VI, 1. 7. 5. 4. etc. Quomodo autem se gesserint in auxilio reis ferendo, ex iis quae mihi liceat afferre, facile intelligi potest. In rerum criminalium quaestionibus cum causa in judicium deduceretur, tribuni intercedentes totam rem irritam faciebant (Liv. III, 13. 59. IV, 50. VIII, 33. IX, 26. 34. XXXVIII, 42. XLIII, 16. Gell. IV, 14. VII, 19. Val. Max. VI, 1. 7. Sall. Jug. 34), et si erat mandatum, ut reus prehenderetur, prohibebant. (Liv. III, 13. Liv. XXXVIII, 57. 60. Gell. III, 3. VII, 19. Val. Max. IV, 1. 8. VI, 1. 10. Dio Cass. fr. 72. Plin. H. N. XXI, 3. 6.) Post rem judicatam una tantum intercessio tribunicia memoriae prodita est. Tiberius enim Gracchus trib. plebis, pater Tiberii et Gaii Gracchorum, solus ex toto collegio L. Scipioni auxilio fuit, censens alienum videri dignitate imperii, quo duces essent hostium Scipione triumphante ducti, eodem

25) Ratione discriminis inter tribunos prioris et posterioris temporis facti habita verba „juri dicundo“ non sunt proprio sensu usurpata tantumque significant, quanta auctoritate fuerint tribuni, quantumque valuerint, si judicibus essent impedimento actionibusque intercederent. cf. Dig. I, 2. 2. §. 34. Zeitschr. f. d. Alt. Wissensch. 1837. No. 23. Hasse, de jurisd. trib. Lips. 1805. Bender. I, p. 10—19. Savigny, System des röm. Rechts VI, p. 488. sqq. 494 sqq. Pauly VI, p. 2104. sq.

ipsum duci, qui triumphasset. Gracchani autem decreti verba, quae apud Gellium VII, 19. legimus, haec sunt: „Cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans hostium duces in carcerem conjectaverit, alienum videtur esse a dignitate reipublicae, in eum locum imperatorem populi Romani duci, in quem locum ab eo conjecti sunt duces hostium. Itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum a collegae vi prohibeo.“ (cf. Liv. XXXVIII. 60. Val. Max. IV, 1. 8. Cic. de prov. cons. 8. 18.) Apparet autem e re ipsa, ejus generis intercessiones raro accidisse, cum vulgo antea tribuni implorarentur auxilii causa atque appellarentur. Non minus in causis civilibus, cum actio instituebatur, tribuni appellari solebant, velut Alfenus in jus vocatus ob satisfactionem a praetore impositam (Cic. p. Quint. 7. 29.) tribunos appellat, et sic quoque Fabius, quod in compendia formula vox „injuria“ omissa erat, sed tribuni formulam recte conceptam esse arbitrantes non auxiliantur. Quod ex his verbis Ciceronis in oratione pro Tullio p. 38. perspicitur: — „Quid attinuit te tam multis verbis a praetore postulare, ut adderet in judicium „injuria“, et, quia non impetrasses, Tribunos appellare, et hic in judicio queri praetoris iniquitatem, quod de „injuria“ non addiderit? — — „At quibus verbis in decernendo Metellus usus est, ceteri, quos appellasti, — nonne haec omnium fuit oratio, — se nihil addituros?“ Sic Cicero in Quaest. Acad. II, 30. commemorat tribunos ob exceptionem adiri²⁶⁾. Post judicatum autem impedimento fuisse tribunos Livius VI, 27. testatur his verbis: „neque duci addictos tribuni sinebant.“ Sed quid attinet de his rebus plura requirere? Haec sufficient de auxilio tribunorum reis lato. Attamen sunt viri docti, qui supra citatum Gellii locum respicientes tribunos non solum munere arbitri functos esse sed etiam jus judiciale in causis plebis habuisse arbitrentur, veluti Walter p. 49. qui Joan. Lydum de magg. I, 38. 44. sequitur, et Guil. Ihne²⁷⁾, quorum in opinionem ego quidem non possum discedere, quoniam tribunis causa quidem cognoscenda erat, priusquam auxiliantes intercederent, et decretum faciendum, sed nequaquam controversia erat dijudicanda.

Vidimus igitur primis temporibus usque ad decemvirolos tribunos solo jure auxiliandi, quod iis in monte sacro concessum erat, usos esse. Ad quod obtainendum non videbatur necessarium esse, eos in senatu adesse, vel ut Valerius Maximus II, 2. 7. narrat, ante valvas curiae in subselliis sedentes decreta patrum attentissima cura examinare, ut si qua ex iis improbassent rata esse non sinerent: cum in senatu res tantum omnibus civibus communes et ad publicam salutem pertinentes tractarentur. Id tum demum factum esse arbitror, cum legibus Valerii Horatiis sanctum erat, ut

26) „Sed hoc extreum eorum est: postulant, ut excipientur haec inexplicabilia. Tribunum aliquem censeo adeant: a me istam exceptionem nunquam impetrabunt.“

27) W. Ihne: Forschungen auf dem Gebiete der röm. Verfassung. (Franff. 1847) p. 66.

quod tributim plebs jussisset populum teneret, et a Valerio et Horatio Coss. edictum erat, ut senatus consulta in aedem Cereris ad aediles plebis deferrentur, quae antea arbitrio consulum suppressabantur vitiabanturque. Itaque superest, ut ad concludendam hanc commentationis de tribunicia potestate particulam quaedam addam, quibus intelligi potest, tribunos usque ad decemviros in senatu²⁸⁾ non adfuisse jure potestatis suae.²⁹⁾ Qua de re Duker ad Liv. III, 69. recte mihi videtur annotasse, non esse credibile, patres in tenuibus illis initii tribuniciae potestatis magistratum plebis quasi arbitrum et moderatorem deliberationibus suis adponi passos fuisse. Neque enim vel plebem id postulasse, vel de eo quidquam in legibus, quibus concordia inter eam et patres restituta est, inesse, ex iis, quae de his rebus Livius ac Dionysius prodiderunt, constat: quos rem tanti in republica momenti silentio praeterire voluisse, nequaquam probabile est. Ac ne illum quidem in his indicium est, unde intelligi possit, tribunos plebis statim ab eo tempore quo instituti sunt, hoc jure usos fuisse. Haec Duker. Si quis autem dixerit, verbis Dionysii VII. 49, quae Appius Claudius in oratione de judicio Coriolani facit: ὁ δῆμος εὐθὺς ἐτέραν έτι παύης γίγει μεῖζω καὶ παρανομωτέραν δωρεάν, ἔξονσίαν αὐτῷ δοθῆγει δημάρχους ἐξ αὐτοῦ καθ' ἔκαστον έτος ἀποδεικνύαι. — — καὶ τοῦτο ἐπεισαν ἡμᾶς οἱ σύμβουλοι τὸ ἀρχεῖον ἐάσαι παρελθεῖν εἰς τὴν βουλὴν, ἐπὶ τῷ κοινῷ παραγγυρόμενον κακῷ καὶ μάλιστα ἐπὶ τῷ κατὰ τῆς βουλῆς φθόνῳ, πολλὰ, εἴπερ ἄρα μέμνησθε, περιφράστος ἔμοι καὶ μαρτυρομένου θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, ὅτι πόλεμον ἐμφύλιον ἀπαντον εἰς τὴν πόλιν εἰσάξετε, καὶ πάντα ὅσα ὑπὸ προβεβηκε λέγοντος: aperte dici, tribunos plebis jam tum, solo Appio reclamante, in senatum, εἰς τὴν βουλὴν, admissos esse, assentiri ei nequeo, hujus loci lectionem falsam esse arbitrans. Cum enim de creandis tribunis ageretur, non in quaestione versabatur, num tribuni in senatum admittendi essent, sed num omnino ad plebis tutelam ac praesidium creandi et in rempublicam recipiendi essent, et huic postulato soli Appius Claudius adversatus erat. Itaque recte videtur legisse Lapus vel conjectisse: εἰς τὴν πόλιν, haec verba „in rempublicam“ vertens, Porto Dukeroque hanc conjecturam probantibus.

Ex iis autem locis, quibus commemoratur, tribunos senatus interfuisse, non appareat, hoc factum esse jure potestatis suae. Etenim Dionysius de rebus Coriolani, qui in senatu sententiam dixerat, plebem fame premendam esse, ut pateretur aboleri novum magistratum, disserens scribit (VII, 25.), M. Minucium et A. Sempronium con-

28) De jure autem senatorio tribunorum plebis apud Zonaram VII, 45. haec legimus: τὸ μὲν πρᾶτον οὐκ εἰσήσοντες τὸ βουλευτήριον, καθίμενοι δὲ ἐπὶ τῆς εἰσόδου τὰ ποιούμενα παρετήρουν καὶ εἰ τι μὴ αὐτοῖς ἥρεσκε, παραχωρήματα ἀνθίστατο· εἶτα καὶ εἰσεπαλοῦντο ἐνός. Ἐξέπειτα μέντοι καὶ μετέλαβον τῆς βουλείας οἱ δημαρχίσαντες καὶ τέλος κάκ τῶν βουλευτῶν τινες ἕξισαν δημαρχῶν, εἰ μὴ τις εὐπατρίδης ἐπύγχανεν· οὐ γάρ ἐδέχετο τοὺς εὐπατρίδας ὁ ὅμιλος.

29) cf. Hoffmann: p. 112. sq. contra Jahn: Neue Jahrbücher LVIII, 3. p. 230. sq.

sules tribunos in senatum vocasse (*παρῆσαν γὰρ τῷ συνεδρίῳ παρεκληθέντες ὑπὸ τῶν ὑπάτων*), cum deliberandum esset, qua ratione frumentum ex Sicilia adiectum inter plebem divideretur. Itaque accidit, ut tribuni atrocem illam Coriolani sententiam audiarent. Quo facto tribuni Coriolano diem dixerunt, sed cum patres, eos hujus rei auctores non posse fieri rati, repugnarent, patiendum iis erat, in senatu hanc rem antea in consultationem venire. Quam ob rem non videtur mirum esse, quod, cum in deliberationem caderet, num plebs Coriolanum in judicium adduceret, nec ne, tribuni in senatu aderant, praesertim cum conditio ab iis constituta esset, quam apud Dion. VII, 39. legimus: *τοὺς βουλευτὰς λόγον ἀποδότας αὐτοῖς τε τοῖς ὑπὲρ τοῦ δήμου πρόστοντοι καὶ τοῖς συναγορεύειν ἢ τάγαντια λέγειν βουλομένοις, ἐπειδὴν ἀκούσωσι πάντων τῶν βουλευομένων, ὅτι ἀν αὐτοῖς φανῇ δικαιόν τι καὶ τῷ ποιῷ συμφέρον ἀποδήμασθαι.* Et paullo post in eodem capite Dionysius addit, tribunos postero die in senatum vocatos esse: *τῇ κατόπιν ἡμέρᾳ παρῆν μὲν εἰς τὸ συνεδρίον ἡ βουλὴ. οἱ δὲ ὄπατοι δηλώσαντες αὐτῇ τὰ συγχετόμενα, τοὺς δημάρχους ἐκάλουν καὶ περὶ ὧν ἥκοντιν ἐξέλενον λέγειν.* Sic a. U. 282 lege Publilia in deliberationem cadente tribuni adsunt, ut quae rogaverant defenserent. (cf. Dionys. IX, 41—49.) Saepius tribuni aderant in senatu de lege Terentilla summis exortis discordiis, uti Liv. III, 9. testatur: „Vos, inquit Fabius (qui praefectus urbi absentibus consulibus senatum convocaverat), ceteri tribuni, oramus, ut primum omnium cogitetis, potestatem istam ad singulorum auxilium, non ad perniciem universorum comparatam esse: tribunos plebis vos creatos, non hostes patribus. Agite cum collega ut rem integrum in adventum consulum differat.“ Cum postero anno (293. a. U.) derepente multa prodigia nuntiarentur (Liv. III, 10.) et tribuni patres criminarentur, id factum esse ad impediendam legem, senatus statim convocatus est, neque abfuerunt, ut res se habebat, tribuni, ut intelligerent, quam male se gessissent. Dionysii autem verba haec sunt X, 2: *Ἐπειτα συναζθέντες εἰς τὸ βουλευτήριον οἱ σύνεδροι, παρόντων καὶ τῶν δημάρχων, ὑπὲρ ἀσφαλείας τε καὶ σωτηρίας τῆς πόλεως ἐσόποντο: εἰ quibus jam apparebat, inuisitatum fuisse praesentiam tribunorum in senatu, aliter enim non dixisset: παρόντων καὶ τῶν δημάρχων.* Discordis patrum et plebis, dum de lege contendunt, in dies crescentibus, haud immerito tribuni opinantes conjurationem esse factam, ut plebis libertas aboleretur, ea quae suspicionem movebant, ad senatum referre voluerunt. Talia autem indicia saepe ad senatum deferebantur etiam a privatis hominibus, venia a consulibus vel ab eo cui jus erat convocandi senatum data. Itaque tribuni adeunt consules: Dionys. X, 9: *Ταῦτ' εἰπόντες φύγοντο πρὸς τοὺς ὑπάτους et extremo capite: Οἱ μὲν ὄπατοι τὴν βουλὴν ἐκάλουν οἱ δὲ δημάρχοι προσελθόντες ἐδείχνυσαν τὰ προσαγγελόμενα.* Postremo nobis liceat afferre, quae Romilio et Veturio coss. agebantur, a. U. 299., quo anno tribuni delectum prohibuerunt. Consules enim tribuniciam despicientes potestatem, qui de plebe ad tribunos provocaverant, in

vincula eos conjici jusserunt: quae postea fuit causa, cur tribuni consulibus magistratu abeuntibus diem dixerunt, cumque hi non obedirent, tribuni querentes orantesque senatum adierunt. *Ἐπέλοντες* (Dionys. X, 34.) τὸν ὑπάτους εἰς τὸν δῆμον, τῶν πεπραγμένων λόγον ὑφεξοντας. Ως δ'οὐ προσεῖχον αὐτοῖς ἐκεῖνοι τὸν ροῦν, ἐπὶ τὴν βουλὴν παρῆσαν (ἔτυχον γὰρ ὑπὲρ αὐτῶν τούτων συνεδρεύοντες) καὶ παρελθόντες ἐδέοντο, μήθ' αὐτοῖς τὰ αἰσχυστα πεπονθότας ὑπεριδεῖν, μήτε τὸν δῆμον ἀγαιοεθέντα τὴν ἐξ αὐτῶν βοήθειαν. Itaque adsunt orantes, oranti autem nulla est mora. Aderant quoque in senatu a. U. 300, quo anno de preferenda lege Terentilla agebatur, sine dubio a consulibus vocati, quippe qui eos audientes in consiliis interesse vellent (Dionys. X, 48—52.). Ex his igitur omnibus quae equidem cognoverim exemplis elucet, primo tempore tribunis demum a consulibus vocatis licuisse in senatum venire, ut in agendis rebus inusitatis atque novis dicerent, quae censerent, testesque adessent deliberationibus. Aut sua sponte adsunt, ut rationem habentes potestatis suae dignitatisque salutique plebis consulentes indicium alicujus rei faciant, precibusque vel querelis adeant senatum. Et si adjiciamus locos, uti Dionysii VII, 37. et 38., ubi senatum habitum esse narrat tribunis non praesentibus, et X, 34. (a. U. 299), ubi commemoratur, tribunos eodem tempore plebem in concionem convocasse, quo senatus in curia consultabat, revera conjici licet, tribunos eo tempore non potuisse venire in senatum jure tribuniciae potestatis. Itaque supervacaneum videbatur, eos sedere in subselliis ante valvas curiae, nam et Zonaras (VII, 15. cf. notam 28) et Valerius Maximus II, 2. 7. l. s. c. addunt, hoc eo consilio factum esse, ut statim intercedere possent. Post leges autem Valerias Horatias tribunos jus intercedendi adeptos in senatu adfuisse, ex iis, quae supra attulimus, facile est intellectu. Sed haec hactenus.
